



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Agenda, Sev Ritvale Osnabrvgense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

De modo absolvendi à Suspensione, vel ab Interdicto, extra vel intra sacramentalem Confessionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

Filiī, & Spiritus sancti , Amen. *Deinde dicatur Psalmus, De profundis. infine , Requiem æternam dona ei Domine. Resp.* Et lux perpetua luceat ei. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *&c. Vers.* Et ne nos inducas in temptationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* A porta inferi. *Resp.* Erue Domine animam ejus. *Vers.* Requiescat in pace. *Resp.* Amen. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**D**A, quæsumus Domine , animæ famuli tui , quem excommunicationis sententia constringerat , refrigerii sedem , quietis beatitudinem , & superni luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

De modo absolvendi à Suspensione , vel ab Interdicto , extra vel intra Sacramentalē Confessionem.

**S**I Sacerdoti sit commissa facultas absolvendi aliquem à Suspensione , vel Interdicto , quamvis nulla verba sint præcipue determinata , uti poterit hac formula.

Pæni-

*Pœnitens dicat : Confiteor Deo , &c. Sacerdos : Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c.*

Autoritate, mihi ab N. tradita, ego absolvó te à vinculo suspensionis, (*vel interdicti*) quam (*vel quod,*) propter tale factum, (*vel causam*) incurristi, (*seu incurrisse declaratus es,*) in nomine Patris **†**, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

*Si verò Confessario, sive in foro conscientia sive extra, data est potestas dispensandi super irregularitate, tunc, postquam absolverit à peccatis, addat consequenter :*

Et eadem autoritate dispenso tecum super irregularitate, (*vel irregularitatibus, si sunt plures,*) in quam, (*vel in quas*) ob talem vel tales causas, (*eas exprimendo,*) incurristi, (*quando dubium est, utendum conditione, si incurristi,*) & habilem reddo, & restituo te executioni Ordinum & officiorum tuorum, in nomine Patris **†**, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

*Si nullum habeat Ordinem, dicatur : Habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos, vel etiam ad alia, juxta tenorem mandati.*

*Quod si necesse sit, titulum beneficij restituere, & fructus male perceptos condonare, subjungat :*

*Et restituo tibi titulum, (*seu titulos*) beneficij,*

O 3                    beneficij,

ficii, ( *seu* beneficiorum, ) & condono tibi  
fructus male perceptos, in nomine Patris **+**,  
& Filii, & Spiritus sancti, Amen.

*Advertat autem Sacerdos, ne ullo modo, in iis, fa-  
cilitatis sua terminos excedat.*

## DE SANCTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.



*Mnibus quidem Ecclesiæ Catholice Sacramentis reli-  
giose sancteque tractandis, magna ac diligens cura  
adhibenda est; sed præcipue in administrando ac sus-  
cipiendo Sanctissimæ Eucharistie Sacramento; quo  
nihil dignius, nihil sanctius & admirabilius habet  
Ecclesia Dei; cum in eo contineatur præcipuum & maximum Dei  
donum, & ipsem omnis gratia & sanctitatis fons auctorque,  
Christus Dominus.*

*Parochus igitur summum studium in eo ponat, ut cum ipse ve-  
nerabile hoc Sacramentum, qua decet reverentia, debitoque cultu,  
tractet, custodiat & administret, tum etiam populus sibi commis-  
sus religiosè colat, sanctè frequenterque suscipiat, præsttim in  
majoribus anni solemnitatibus.*

*Ideo populum sepius admonebit, quâ preparacione, & quanta  
animi religione ac pietate, & humili etiam corporis habitu, ad tam  
divinum Sacramentum debeat accedere: ut, præmissa sacramentali  
confessione, omnes, saltem à media nocte, jejuni, & utroque genu  
flexo, Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant;  
viri, quantum fieri potest, à mulieribus separati.*

Mo-